



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XVII. De tertio veniente ad causam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

detraktionibus per heredem gravatum præten-  
di solitis, diuturna esse solet, ita prævenire stu-  
deat, petendo fideicommissi canonizationem  
ad ejus favorem super certis bonis, quæ illi sub-  
jecta prætendantur, atque ita præventivè dispu-  
tare de prædictis exceptionibus, de quibus hæ-  
redes gravati vel eorum successores, aut tertii  
bonorum possessores opponere solent.

In hoc autem; Quamvis juris regula sit nega-  
tiva, hujusque iudicii de futuro prohibitiva, unde  
15 propterea plerique DD. regularum rigori firmiter  
inhærentes, simpliciter, ac indistinctè, hujus  
iudicii introductionem negant; Probabilior ta-  
men videtur opinio aliorum distinguendum, ut  
scilicet ista regula iudicii de futuro prohibitiva,  
procedat ad effectum cõdemnandi, & exequen-  
di extunc, atque speranti jus de futuro, incertum,  
& eventuale, concedendi immisionem, vel ali-  
ud remedium; Secus autem ad effectum decla-  
randi ea, quæ sub dubio esse possunt, ut ita futuri  
litibus ac dilationibus occurratur ad effectum  
tamen, ut non nisi purificata conditione, seu ali-  
às facto casu aperturæ juris ad favorem actoris  
fiat executio ejus quod iudicatum est, cum id  
omnino rationale, ac iustum videatur, ita ca-  
lumnias, ac subterfugiis occurrendo; Quoties  
Actoris petitio probabiliter habeat boni juris  
sumum. De ista questione pro utraque opinione Fab.  
de Ann. conf. 126. Rovit. conf. 95. lib. 2. Prax. ad Mus-  
catell. in prax. civ. p. 1. fol. 20. Amat. di. 1. var. c. 49. add.  
ad Buratt. dec. 368.

Idque etiam praxis docet in dotibus, quæ ex  
bonis liberis vel fideicommissariis respectivè  
illorum, quorum dotandi obligatio prætenda-  
16 tur, petantur per puellas adhuc nobiles, nullam-  
que matrimonii occasionem habentes, quoniam  
licet dotandi obligatio, sive sit ex dispositione  
juris, sive ex illa hominis, quoties non intrat ratio  
vel privilegium legitima, matrimonii condi-  
tionem sub se contineat adeo ut possit per pu-  
ellæ prædecesum ante matrimonii contractum,  
caducari; Adhuc tamen restè datur iudicium  
præventivum de futuro, ad effectum firmandi  
statum, cum re iudicata, promptè exequibili, pu-  
rificata conditione, tam circa ipsius dotis sub-  
stantiam, quam circa taxam, ac modum in quan-  
titate vel qualitate bonorum, ut ita certificata  
dote, puella promptius, ac facilius inveniat vi-  
rum, quem alias non de facili inveniret, cum  
dote incerta & litigiosa, ne duplicem litem vir  
suscipere cogatur. *in. de dote disc. 166. & 143.*

Quinimo isto casu, quando facti circumstan-  
tiæ, pro iudicis prudenti arbitrio, ita suadeant,  
17 dari potest iudicium de futuro, etiam ad effe-  
ctum executionis præventivæ, sed sub impli-  
cita conditione resolutiva, quatenus conditio  
deficiat, ut scilicet ille, qui dotare obligatus est,  
tot bona assignare, vel dotem in pecunia depo-  
nere teneatur, etiam ante tempus matrimonii,  
præsertim in dotibus Monachandarum, ut quo-  
tidiana praxis docet. *eod. in. de dote disc. 167.* cum  
similibus, quibus eadem congruat ratio, quoni-  
am omnium rerum vis consistit in effectu vel  
sine, non autem in formalitatibus.

Certiùs autem, & cum minori controversia,  
istud iudicium de futuro datur in iis, quæ ha-  
18 beant causam certam præexistentem de præsen-  
ti, congruat autem pro ejusdem causæ effectibus  
occurrere, ut adveniente tempore, seu facto ca-  
su, promptum sequatur implementum; Puta  
in censibus, vel in decimis, aliisque annuis præ-

*Card. de Luca de iudicij & judicialibus.*

stationibus. *Cenc. de cens. quest. 96. Conciol. alleg. 26.*

Ac etiam in jurisdictionalibus, vel præemi-  
nentialibus, ne quando casus contingit, lites &  
inconvenientia orientur, ut præsertim in praxi  
dedit occasio de hoc agere super jure Capituli  
Cathedralis contra aliud Capitulum Collegia-  
tæ, in deputatione Vicarii Sede vacante, ut scili-  
cet Sede plena, super futuro casu, vel tempore  
iudicium peragatur, etiam cum coactione ad pa-  
ritionem verbalem loco executionis realis, ut  
ista facto casu, promptè sequatur. *in. de jurisd.  
disc. 24.*

Idemque in præcedentiis, vel in aliis iuribus,  
pro casibus in futurum contingibilibus, puta in  
ingressibus Principum, vel in processibus seu  
comitiis, ac similibus functionibus, cum incon-  
veniens esset, ut tunc lites de super peragere  
oporteat, dum ipsa lis tempus functionis absor-  
bet, ipsamque occasionem irreparabiliter tollit,  
juxta exemplum quod vulgò tradit solet in liti-  
bus super scamno vel pro concione, tempore  
quadagesimali, quoniam nihil refert, quod post  
Pascha obtineatur victoria, quæ inutilis rema-  
neret, ideoque restè intrat extra tempus quadra-  
gesimale iudicium præventivum de futuro ut  
adveniente tempore, vel occasione, prompta sit  
executio, cum similibus.

Et in summa, hujusmodi quaestionum regula-  
rix esse debet ratio, seu finis, ob quem iustè id  
petatur; Nimis etenim irrationabile esset, ut qui  
sperat, vel expectat purificationem fideicom-  
missi, vel majoratus ad sui favorem, pro sola frui-  
tione ad vitam, stante onere post mortem aliis  
restituendi, sciens possessoris prætensionem, cogi  
debeat silere, donec possessor vivat, sequuto  
verò casu longam litem super fideicommissi exi-  
stentia, vel pertinentia sustinere, aut super  
identitate bonorum, vel super legitimatione  
personæ vel detraktionibus, dum ita ejus vita  
prius terminaret, quam lis haberet finem, cum  
similibus.

### De tertio veniente ad causam.

#### SUMMARIUM

- 1 Tertius qui non docet de ejus interesse non auditur nec admittitur.
- 2 Quando constare dicatur de interesse.
- 3 Sufficit interesse quale quale, ideoque raro admittitur, denegatur, & quod imprudens consilium sit disputaciones de super assumere.
- 4 An admitti debeat in statu, & terminis, & de effectibus hujusmodi quaestionis, quod admittitur in statu, & terminis facit acta sua.
- 5 De tertio veniente coadjuvando unum ex colligantibus.
- 6 De tertio veniente principaliter pro jure suo, sed consequitivo.
- 7 Quam interessati sint citandi.
- 8 De tertio infringente jura utriusque, vel habente cum uno jus coequale, ubi jus sit dividuum.
- 9 Quid ubi sit individuum, an ob omissionem sue citationis totum iudicium corrumpat.
- 10 Quando jus dicatur principale, & coequale, vel accessorium, & exemplificatur.
- 11 An & quando tertius impediatur expeditionem causa.
- 12 De eodem, & quando interesse sit accessorium, vel principale, & coequale.
- 13 Licet tertius veniens ad causam, faciat acta sua, etiam sententias, non tamen sibi obstat res iudicata, sed

E.

sed

*sed admittitur ad appellandum, quamvis id non liceat principali victo.*

## D I S C. XVII.

**R**egula est, quod tertius, qui non doceat de ejus interesse, non debet ad causam admitti, quoniam ille qui nullum habet interesse, audiri non debet. *Gregor. decis. 118 num. 5 & 6. dec. 425. par. 12. rec.* Ideoque ubi quis ad causam admitti petat, de ejus interesse docere debet, atque commissiones desuper signantur cum clausula *docto de interesse*, ac propterea in causis Rotalibus, stante stylo Tribunalis, etiam circa hæc incidentia, nihil decernendi sine disputatione dubii, ac ædicatione decisionis. *infra in relatione Curia disc. 32.* assumi solet disputatio particularis super hoc dubio, an constet de interesse.

Verum quia istud sufficit quale quale, quodque de eo doceatur (ut practici dicunt) apparenter quamvis non existenter. *Bib. decis. 536. Orshub dec. 171. Sanfelix decis. 90.* Ideoque, pro frequentiori contingencia, admissio de facili conceditur, nimiumque rari sunt casus, in quibus de denegatione respondeatur; Hinc propterea apud bene fundatos practicos, imprudens consilium reputatur hujusmodi admissionibus se opponere, atque disputationes desuper assumere, dum occasione hujusmodi incidentis, multa præjudicialia in decisionibus, quæ desuper æduntur, firmari solent, concernentia merita negotii principalis, ut etiam frequentior praxis docet in disputationibus, quæ suspici super concessionem, vel denegationem remissoria, vel compulsoaria, cum similibus; Ac propterea præsertim in Rota, ob dictam necessitatem ædendi decisiones stante introductione non commendabilis usus se diffundendi in decisionum extensione, ultra punctum præcisum, qui disputatus, ac decus fuit, hujusmodi incidentium disputationes quo magis fieri potest, effugi debent, priusque cedere expedit, ita eludendo artem cum arte, quoniam ad dictum finem frequentius, hujusmodi disputationes affectari solent; Licet enim cedere incidentibus importare soleat subterfugia Reorum, & aliquam temporis jacturam in Actoribus; Attamen ex duobus malis, minus est eligendam.

Posita verò admissione, frequentiores quæstiones cadunt, super modo, vel statu, an scilicet ille tertius admitti debeat ex integro, vel potius in statu, & terminis, in quibus causa reperitur; Hujusve quæstionis notabilis est effectus, quoniam, ubi sequatur admissio simpliciter, quæ propterea intelligenda venit in statu, & terminis, tunc admissus facit sua omnia acta, eisque afficitur, eo modo quo ipsemet principalis colligans, cum quo gesta fuerunt, ideoque id nimium refert. *Gregor. decis. 259. Guib. decis. 1. add. ad Buratt. decis. 833. decis. 288. & 346. par. 9. rec.*

Ad id autem, distinguenda sunt plures species tertii venientis; Una etenim est species illius tertii, qui ad causam admitti curet, ut coadjuvet, cum ejus juribus, unum ex colligantibus, nempe quia ad id teneatur, ut contingit in defensore necessario, qui alicubi, auctor laudatus dicitur, istoque casu planum est, quod istius supervenientia, nullum infert præjudicium alteri parti, tam circa forum, quem ex ejus persona, vel privilegio, non declinat; Excepto fisco, qui sive de jure, sive de facto id sibi usurpat, ut alibi supra agendo de Iudice, vel foro competenti advetti-

tur; Minusque aliud ejus privilegium communicat circa appellabilitatem, ut habetur infra agendo de appellatione, & Egidiana. *infra in eo disc. in quo agitur de appellatione, & supra disc. 3.* cum similibus, cum revera ista nova persona, sit solum accessoria, seu additiva, & consequutiva, & consequenter in nihilo alterat, respectu colligantis, quidquid sit inter seipos defensorem, & defensum, circa evictionis præstationem.

Altera species tertii, est illius, qui venit ad causam, non in gratiam unius ex colligantibus, ut eum adjuvet, sed principaliter, pro jure, vel interesse proprio, independentem ab eo, cujus partes, per consequens coadjuvare dicitur; Ut exemplificando in iis, quæ frequentius contingunt habemus in substituto, qui adhuc pendente conditione substitutionis, petat, ac obtineat admitti ad causam agitatam cum hærede gravato, ut ita pro ejus sperato jure, occurrat dicti hæredis negligentis, vel collusionibus, suisque præjudiciis consulat; Quod etiam verificari potest in domino directo, qui veniat assistendo feudatario, vel emphyteutæ, cum quo lis agatur cum similibus, quoniam isti nullum habent interesse principale, & coæquale, ob quod in causa citari debuerint, ex regula quod sufficit citare possessorem, sive illum, de cujus interesse principaliter agitur, non autem omnes habentes interesse accessorium, vel consequutivum. *supra disc. 9. de citationibus. & tit. de jurisdictione disc. 2. & 22.*

Et consequenter iste dicendus erit tertius voluntariè veniens ad causam, assistendo uni ex colligantibus, ideoque est casus, qui præcedenti assimilatur, atque cum eo fraternizat, unde sibi dici potest, quod; Aut credit, ut acta gesta inter illos, qui litem agunt, sibi præjudicant; Aut non; Si credit sibi non esse præjudicialia, tuus est de jure suo, ac propterea nullam habet comparandi necessitatem; Si verò credit præjudicialia, atque supponit, quod ille, cum quo ea gesta sunt, sit legitimus defensor, tunc de consequenti justum, ac rationabile non est, ut altera Pars, quæ cum sumptibus, & incommodis, ac laboribus, processum cum uno compilavit, ac litem sustinuit, forsitan terminatam, vel ad terminationis limites reduxit, cogi debeat, cum altero denuò ad causam veniente, illam ex integro suscipere, dum ita fraudes in dies committi possent, per quas induceretur circulus inextricabilis, qui lites æternaret.

Tertia est species illius tertii, qui ad causam veniat, ex ejus jure principali, vel scilicet infringendo jura utriusque, vel quia suum jus sit cum uno ex colligantibus coæquali, quia nempe res quæ in lite sit, ad ipsum æque principaliter pertinet; Sive ipse coæquale jus defensionis habeat, ut (ex. gr.) est cohæres in re hæreditaria, sive sit primus, sive ulterior, qui confidei commissarius dici solet; Vel est socius, qui pro communi eadem rem possideat, ut contingit in bonis emphyteuticis, vel etiam in feudalibus, ubi agatur de feudis pacti, & providentiæ cum similibus; Et tunc intrat distinctio, an agatur de jure dividuo, vel de individuo; Ubi etenim agatur de jure dividuo, intrat idem, quod dictum est in casu proximè præcedenti, dum nulla subest in hoc tertio necessitas se faciendi admittere ad causam, ex quo suum jus remanet saluum, quoniam in rebus, vel juribus dividuis, non suppetit necessitas citandi confortem, atque citationis omisio non vitiat processum, & acta quoad citatum,

tatum, sed bene illa non afficiunt non citatum, qui tutus de jure suo quiescere potest, ideoque si voluntarie vult ad causam venire, sibi imputet, si faciat acta sua; Atque in hoc rigorose, & circumspicte procedendum est, ut occurratur fraudibus, & calumniis, pro litibus atternandis, quoniam postquam victus, vel vincendus, victorem diu cum lite defatigavit, ut ita posset curare admissionem alicujus consortis, ut ex integro lis assumeretur.

Si vero sit jus, vel interesse individuum; Et tunc tertius admittitur ad causam, non cogitur stare actis gestis cum consorte, ex ratione eorum nullitatis etiam respectu ejus, cum quo gesta sunt, ex regula, quod in individuis, omisso citationis unius ex principaliter interessatis, vitiat processum; & acta, etiam respectu eorum, qui citati fuerunt, sibi que imputet Actor, cur omnes principales, & coaequales causas defensores non evocavit; Unde propterea exemptio tertii veniens, ab obligatione faciendi acta sua, provenit ab eorundem actorum nullitate, dum habenda sunt perinde, ac si gesta non essent.

Dum modo tamen ille, cujus evocatio omissa est, habeat jus principale, & coequale, adeo ut ad ipsum aequè principaliter causa defensionis pertineat; Secus autem si jus, & interesse sit accessorium, & consequitivum, ut exemplificando in prophanis, interesse coequale dicitur illud coheredis, accessorium autem dicitur illud fideicommissarii sperantis successionem; Atque exemplificando in spiritualibus, si (ex.gr.) agatur de jure vel jurisdictione Ecclesiae Cathedralis, interesse coequale, & aequè principale, est illud Capituli cum Episcopo, quoniam ex eis simul junctis constituitur corpus formale, sive intellectuale cathedraliticum, ab Episcopo, sc. tanquam capite, & a Capitulo tanquam reliquo corpore; Et consequenter in juribus individuis, quae consistunt in jurisdictionibus, & praeminentiis, gesta cum solo Episcopo, non tenent ex defectu citationis Capituli, vel e contra; Secus autem ubi agatur de donis vel juribus, quae licet habitualiter sint Ecclesiae, quam aequè representant Episcopus, & Capitulum; At tamen ea sint divisa, quia nempe alia sit mensa Episcopi, & alia sit mensa Capituli, quoniam tunc sufficit agere iudicium cum eo, ad quem mensa pertinet; Alter vero ex participatione, quam habet in efformatione Ecclesiae dominæ habitualis, dici quidem potest habere sufficiens interesse ad obtinendum admitti ad causam, atque ut admittitur audiari debeat, & ne tanquam non interessatus negligi valeat, sed in statu, & terminis, dum ejus interesse est accessorium, & consequitivum; Idemque (ex.gr.) in clerico, & populo, cujus interfit victoria, vel succumbentia litis jurisdictionalis, vel praemientialis, quam Ecclesia habeat, quoniam est interesse accessorium, & secundarium, cum similibus, ad quae ex istis, pro casuum qualitate, & circumstantiis pro identitate rationis inferri potest, *ut. de jurisd. disc. 2. 18. & 22.*

Atque ex his distinctionibus, pendet decisio alterius quaestionis, an & quando tertius impediat expeditionem causae, vel executionem, vel det de attentatis, cum ista dicantur connexa, atque tendentia in idem. *de tertio impediente, vel non impediente executionem Add. ad Buratt. dec. 833. Caval. dec. 305. add. ad Vestr. l. 5. c. ult. dec. 48 par. 7. rec. Franch. & add. decis. 261.*

Hinc proinde ista theoricæ ita constituta; Ius Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

xta ferè omnium forensium quaestionum naturam, majores controversiae, consistunt potius in facto, quam in jure, super applicatione sc. dictae theoricæ ad casum, & quando interesse dici valeat coequale, & aequè principale, sive quando agatur de re dividua, vel individua, Id autem aptum non est certam regulam recipere, cum pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ut in progressu, pro actorum qualitate inferius advertitur, & praesertim in Rubrica nullitatum, ac in altera executionis, & subastationis, ac alibi.

Quamvis autem tertio admissio ad causam in statu, & terminis obstant omnia acta, perinde ac si cum eo gesta essent ut supra, & consequenter etiam sententiae, quamvis sint plures, ad faciendum earum numerum; Non tamen obstant res judicatae, sive tres conformes, adeo ut sibi praclusa sit illa appellandi facultas, quae praclusa est principali victo, sed admittendus est ad appellandum. *dec. 304. par. 5. rec. Caval. dec. 397. add. ad Buratt. dec. 833.* Adhuc tamen circumspicte in hoc procedendum est, inspiciendo quale sit tertii jus, vel interesse, & an abusu suspicio fraudis, vel collusionis, quia se victus appellare impeditus, ita curet fraudulenter tertiu supponere.

### De attentatis, & de exceptione litis pendentiae.

#### S V M M A R I V M

- 1 **A**ttentatorum materia frequens, & quare.
- 2 **A**ttentatorum suspensio causam principalem.
- 3 De errore causidicorum in partibus.
- 4 Super quibus cadant attentatorum quaestiones.
- 5 Attentans debet omnia restituere in pristinum, ac etiam restituere fructus, omniaque rescire damna, & interesse.
- 6 Ac etiam expensas, & quales.
- 7 Quae mora in hac materia cadant.
- 8 An detur appellatio suspensiva.
- 9 Datur manusuentione loco purgationis.
- 10 Sequitur purgatione, ille qui attentata passus est, potius mora parat.
- 11 In illis quae sint liquida, integra purgatio omnino est necessaria.
- 12 Quod in illiquidis praticetur.
- 13 De recursu ad Signaturam pro reiectione.
- 14 De differentia inter Signaturam Gratiae, & illam Insuper.
- 15 Quomodo in hoc rescribi soleat.
- 16 De eodem quando id remissum est arbitrio, pro istius regulatione.
- 17 De eodem circa qualitatem attentatorum.
- 18 Quando etiam in attentatis claris, & culposis detur suspensio.
- 19 Quare Signatura gustare soleat de meritis.
- 20 De distinctione inter attentata scandalosa, & non scandalosa.
- 21 Circa fructus facilius datur suspensio, & ex qua causa.
- 22 Quomodo materia decidi debeat.
- 23 De clausula purgatis attentatis, vel aliis per absolutum absolutum.
- 24 De alia clausula cum facultate revocandi.
- 25 Ex quibus regulatio pendeat.
- 26 De tribus speciebus attentatorum.
- 27 Quales dicantur attentata juris tantum.
- 28 Quando gesta post interpositam appellationem, vel pendente termino, sint attentata.